

Q. D. B. V.

Templi Franciscani

Structuram

Historicâ delineatione pinget,
insimulque

ad

ACTUM ORATORIO-VALEDICTORIUM,

ad Diem 4. Martii 1692.

in Illustri Curiano habendum,

PROCERES Urbis & Eruditos qvosvis decenter

invitat

M. JO. CHRISTOPH. Weiß /

Gymnasii Rector.

Literis Minzelianis.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!

Gimus in superiori velut præliminari programmate de Franciscani Templi nominibus, in quo tanto minus haud dubiè satisfecimus aliis, quanto minus mihi per typographi festinationem licuit, vel extypum emendare, vel singula pro rei necessitate explanare. Igitur quod illis addendum cum fuerat, paucis nunc in ipso exordio structuræ delineandæ præmittamus. Duo autem sunt, quæ ad ipsam Templi dedicationem pertinere adhuc visa sunt: Primum est rosa ingens & versicolor, in Tabulo templi superiori conspicua, cujus interiora folia viridi, exteriora rufso, extrema sufflavo colore nitent. Lemma, quo & rotam & templum ipsum Veneri suæ Mariolatras dedicasse vero simile est, his verbis, ipsis coloribus aliquantum respondentibus, cononæ ad instar illata circumdat.

*O florens rosa! Mater Domini speciosa,
O virgo mitis! o fæcundissima vitis!
Clarior aurora, pro nobis jugiter ora.*

Alterum est pictura haut procul ab hoc flore distans, quâ Franciscus, Minoritarum præcipuus Patronus, à stigmatibus, queis ab ipso Christo notatus & insignitus fertur, proximè ad fornicem, sanctorum cultoribus commendatur. Integra fabula, ea de re ita breviter se habet: Sedenti aliquando Francisco & expendenti secum immensum Dci misericordis amorem, subito fulgore pandere se cœlum yisum est, meramque Dei lucem offundere. In eâ vero Seraphim è superiori throno humana specie cruci affixus hæxens, & binis alijs pedes, binis corpus tegens, ceteris binis se in alium librans apparuit, quo conspecto, cum obstupefactus Assisius ille cogitare coepisse: Hec! sanctam crucem angelorum ita

ita veneratur maximus, ut summam sibi gloriam putet, IESU ad simulari crucifixō, quidni & nos, pro qvibus ille talia passus est, stigmata Servatoris optemus nobis ac conformari eidem maximo pere desideremus? ecco! haut mora, ab ipso Christo, tot stigma tibus, illicē notatur qvot ipse in cruce pendens habuit,, qvæ per totam vitam ille, & non sine magno dolore clam retinuit, donec post obitum ejus palam conspicerentur. Qvod factum etiā apud Pontificios tanti habetur, ut frater Pelbartus de Temeswar 6. Ser mones integros, de JESU hoc typico, qvem laudibus in cœlum vehit, habuerit, & Cardinalis Bonaventura, ex qvo ille sua maximam partem hauſit, in libro de conform: id multis paginis commendat, qyanqyam etiam Bogerium qvendam Apulum, dubitantem de vulneribus Francisci, inflixo in manus à Francisco vulnere, & Papam Gregorium IX. identidem de illis dubitantem phiala sangvine tincta & per somnum oblata confirmatos, indeqve postremū hunc stigmata sancti hujus negantes, aut vituperantes excommunicationis fulmine multeſſe ferant alii, merum tamen id esse otiosorum monachorum commentum, & somnum tum ex aliis fabellis; qvarum absurditas in propatulo est, proverotamen ibi venditantur, tum ex eō potissimum constat, qvod, si omnimodè vulnera occuluerit Franciscus, post mortem factum hoc, & unde illas notas habuerit? patefieri non potuerit. Cognita verò fraus monachorum nobis est, necqven quam fugit, qvid superiori seculo 1509. qvatuor monachi ordinis Prædicatorum Bernæ, tentaverint, ubi mentitis apparitionibus Christi atqve Francisci, simplici cuidam fratri qvingue stigmata impresserunt, & nefcio qvid non ad alliciendum homines cum eō moliti, qui cognita tamen fraude ultimo mensis Maii publicè tandem combusti sunt, testo Seb. Franckio in Chronicō suo fol. 255. A page ergo te Bonaventura, cum somniis tuis & blasphemia IFSU hujus typici invocatione?

*Francisce, JESU typice, Dux norma minorum,
Perpetuas nobis da sedes regni cœlorum.*

Satius est ipsam JESU nostri invocare misericordiam, qvi tulit peccata mundi, & sedes cœlorum dare unus & solus quidem potest. Et huic usui inservit jam templum hoc, in quo annuatim, secunda Pentecostes die, concio in fundati non minus, qvam solenniter inaugurati Gymnasii memoriam habetur, & singulis Dominicis æquæ ac festis Catecheticae Institutiones solertissimè continuantur. Sed de Franciscanis alio loco. Nunc in orbitam redeam & propositum exeqvar, h.e. Templi structuram delineabo breviter, in qua dispiciendum ante omnia de autoribus est: qvos disqvirenti citra dubium prodit monumentum aliquot insignium in superiore ædium harum Tabulato, ejusque media serie conspicuorum, qvibus veterum pietas memoriæ munificentia celeberrimorum Fundatorum pariter ac Amplificatorum & sedulò recolere, & seæ Posteritati insimul commendare maxumopere studuit.. In his primum locum temporis causa sibi vendicat insigne Dominorum de Weida, sub qvorum Regimine, prima ædificii illius jacta sunt fundamenta; Alterum est Comitum de Orlamünde, Ducum Meraniæ hæredum, qvi in sumtus structuræ nonnihil æris contulisse perhibentur; Tertium, Marggrafi Alberti de Brandenburg insignia refert, qvia Elector hic Serenissimus superiorem & inferiorem Burggrafiatum Noricum in ditione sua habuit & nonnullas in restorationem Cœnobii impensas fecit; Quartum insigne est Ducis Johannis de Meckelnburg, qvi brevi ante obitum tumulum apud Franciscanos vigiliasqve ac missas ære suo sibi comparavit, ædiumque harum adeò incrementum hac liberalitate aliquantum promovit; Ultimum demum Curianum seu ipsius urbis nostræ insigne est, cujus cives & manu & opibus ad ædificationem Monasterii universi haud parum adjumenti attulerunt, de qvibus omnibus infra plura dicentur. Hoc interim dissimul-

simulandum non videtur, aut intactum prætermittendum, multa
 rum antiquissimæ Nobilitatis Domuum, nempe Nobilium de
 Rabenstein, Feiltsch, Sparneck, Lüchau, Kotzau, Kynsberg,
 Wildenstein, Zedwiz, Reitzenstein, Pölnitz, Beilwiz, Thandorf,
 Dobeneck, Grünerorum de Hofeck, Morungerorum, aliorumq;
 donationes plurimum contulisse ad ædificationem S. Franciscani,
 qvibus jungi jure merentur, incliti cives nostrates & vicini ac-
 colæ, scil. Tortschiorum, Talmannorum, Pontanorum &c. manus
 beneficæ, qvi una cum Nobilibus monumenta sua sepulchralia
 h̄ic habuerunt, atq;ve adhuc habent. His primordia sua atq;ve
 incrementa debet Franciscus noster, cuius situs ceterūm urbi est
 occiduus. Qvi cum ipsi Claræ Templo fuerit contiguus, in a-
 pricum posatum est, sacra æqvæ ac profana Francisci & Claræ af-
 feclæ habuisse communia. Nolo h̄ic ex alto repetere, qvæ su-
 pra pag. 42. de utriusq;ve Societatis amoribus, literis prodita jam
 leguntur, silebo etiam lavationes in subterraneis porticibus ab u-
 triusq; sexus religiosis mutuò factas ac institutas, de qvibus ad
 castra nostra transeuntes retulere olim. Fidem huic abundè fe-
 cerit, qvod ab aliquibus magni nominis viris in monialium Tem-
 plo observatum novimus. Cum enim illic columna, qvà mo-
 nialium chorus nitebatur, tempestate soluta rueret, molemq;ve il-
 lam, qvam sustinuerat, lapsu suo post se traheret, ex ipsis chori ru-
 deribus prominere visus est loculus solito major, qvo contine-
 bantur duo diversi sexus corpora calce tecta, sibiq;ve ita opposita,
 ut pedibus se invicem contingerent. Qvæ an Francisci ac Claræ
 reliquiae fuerint? dubitare illos jubebant, sericæ qveis tegeban-
 tur vestes; Ingenio tamen iis non fuisse disimiles (sanctos e-
 nim illos Assisi natos ab incunte ætate se adamasse & nimiam fa-
 miliaritatem inter se habuisse, Wolfius ex Anton. Hospiniano
 commemorat,) arguit summa illa amicitia, qvà post fata etiam dis-
 jungi nolabant, sed suos miscendo cineres dulcius & mollius qv-
 eturos se putarunt. Tempus & annus, qvo fani hujus prima

fundamenta jecit antiquitas, exactè definiri nequit, quanquam enim 1293 datas pro illo indulgentiales p. 227 habeamus, & Widemannus præcedentem 1292, Blebelius verò 1291, annum primordia ædificio illi dedisse opinetur; id tamen, quia annus definitus ex documentis antiquioribus non liquido constat, aliis divinandum relinqueremus, quam infirmis rationibus in utramque partem frustra scrupulosius ventilare. Ceterum Templum hoc, cuius spatum internum longitudine 167. latitudine 79. altitudine verò circiter 40. pedes æquat, non ea quantitate ædificatum initio est, quod hodiè conspicitur; Sed illa tantum pars, quæ Claræ Templum, anterioremque forniciem interjacet, longè ante reliquam Domum fuit ædificata, & quidem procul dubio haut magno operis successu, cum in pariete observari licet inter ædificandum muri fundamenta introrsum, (quod forte opus abruptum ad tempus erat, inclinasse & perpendicularum inde alium quæsiuisse strætores, uti hoc utriusque operis discriminem oculus haut adeò lagax in pariete superiori facillimè distingvet. Anno 1531. de augendo & amplificando templo cogitandi ansam dedit possessoribus frequentia largitorum, cum non solum Conradus à Tepen cognomento dives (quod forte blandiendi verbum monachorum fuit) donis & quoq; quodam præstanti auxerit bona Franciscanorum, sed & jam dicto anno Capellam suam habuerit, uti id ex litteris à Qvardiano ipsi datis & à Widemanno exhibitis clare constat; Sed & postea Heinricus de Weida pientissimæ matris, Margarethæ ab Hüttenhofen (quæ cum foronibus monasterium S. Claræ fundavit) vestigiis insistens, in dilatandum ædificium haut spernendam æris sumam impenderit, quem ex Nobilitate & opulentiorum civium numero multi deinde sunt secuti. Verum iterum multi præterlabeantur anni, dum tandem perfecta omnia sunt, cum anno 1376. fornix anterior, una cum Sacrario & duplice supracolaqueari reliquo ædificio adiectus fuit, & Franciscus adeò postea Capellæ Fabrorum & Carpenteriorum, vulgo der Schmidt

uid



und Wagner-Capellen / versus Claræ templum auctus, nec non
 organis pneumaticis atque picturis ornatus, in dedicatione, mul-
 titudini ampliori & nitidiori facie commendare se deinceps value-
 rit. Qvanquam nec illa diurna adeò fuerit : Anno enim
 1430. qvi universæ urbi feralis admodum erat, Husitarum furor
 non solum omnem templi ornatum, vasaque sacra violenter ab-
 stulit ; Sed & fanum, unà cum reliquis monasterii ædificiis
 igne consultò immisso tantum non totum delevit. Etsi verò id
 brevi pòst citra dubium restauratum fuerit & denuò auctum ca-
 pella nova Lic. Joh. Tortschii, Prof. Lipsiensis, qvi missas ea templi
 parte, qvæ ad ambitum in hortulo Domini Con-Rectoris spectat,
 haberet post obitum suum voluit, & multo ære sibi comparavit,
 (qvæ capella 1570. qvo Michaelitanum perfici cœpit, qvia locus ad
 sacra in Franciscano habenda populi multitudinem non capiebat,
 destracta iterum, locum subsellis ibi constructis dedit) haut mitio-
 ra tamen illud altera vice expertum fata est anno 1478. lascivæ mo-
 nialis cuj'dā execranda temeritate, qvæ ad resting vendū libidinis
 incendium aliam viam nesciens, Vulcanum ædibus immisit, ut in-
 gruento multitudine commodè ipsa elaberetur, & vel universi co-
 nobii urbisque periculo libertati suæ prospiceret, de quo supra p.
 42. jam abunde dictum. Ceterùm monumenta ejus rei circa or-
 gana pneumatica & super fornicem ligna semiusta adhuc hodie
 no die exhibentur. Nihilominus mox sequenti anno reparata or-
 nata sunt & picturis ornata, solertissimè id literæ in tabulato supe-
 riori, qva coemiterium seu Claræ monasterium spectat, conspicuæ
 id disertò loquuntur :

Anno Dñi 1479 Quīta. Fia. post Mathei perfect. est. b. tabu-
 latum, perficiens ordinis Johannes Agler & Johannes Cauper.

Sub illud tempus, ni fallit conjectura altius erectus
 etiam parietum murus est ulnæ ferè spatio. Sed
 quo-

qvoniam aut sumptus defecerunt, aut tempus, ubi
 in parem altitudinem opus adduci non potuit, hia-
 tus illi pictis asseribus operti sunt.. In ceteris parum
 immutatum novimus, nisi qvod monumento, qvo
 cœnobium, à templo ad Judæorum aream seu pla-
 team usqve, [zur Juden-Gaß] à reliqua urbe distin-
 guebatur, ablato, (cujus lapides mox Gymnasii stru-
 cturæ inserviebant,) splendidior porta, qvâ rectâ in
 cœnobialem plateam patet egressus, condita & aper-
 ta sit, & postea A. 1562. translato è curia in aliam do-
 mum Horologio, aliud novum, 25. flor. comparatum,
 Amplissimus Senatus urbicus noster in turriculam
 templi hujus reponi curaverit, item qvod eodem
 tempore , forte dimoto ambitu , aliquot fe-
 nestræ perforato versus Con-Rectoralem hortulum
 muro, majoris in istam aream derivandæ lucis causa,
 sint conditæ, exterior etiam facies templi, & qvidem
 anteriorē ejus partem, te&ctoria calce inductâ, lucidi-
 or tum reddita est. Hæc de structura templi. Reliqua,
 si qvæ superfuerint, in perlustratione faciei illius in-
 ternæ, qvam propediem delineatam dabimus, com-
 memorare melius vacabit.

Nunc ad eos me converto, qvos in oratorum
 orchestra me staturum in titulo sum pollicitus.

Horum

or(139)90

Horum autem primus est

JOHANNES CHRISTOPHORUS D'E WALDECK, Nobilis-Var. Viri Maxumè Reverendi atque Præ-Nobilissimi, Domini JOSEPHI FRIDERICI De WALDECK, Hæreditarii in Culmiz & Dœbra-Stoecken, Superintendentis & Gymnasii hujus Inspectoris longè Gravissimi, Patroni nostri colendissimi, Filius natu maximus.

Alter

HEINRICUS SCHMIDT / Lichtenberga Variscus, Viri Amplissimi ; Johannis Wolfgangi SCHMIDTS Prætoris in modo dicta urbe optumè meriti Filius natu minor,

Tertius & Ultimus denique,

Gottlieb BEZOLDUS, Johannis Bezoldi, mercatoris apud Lengenfeldenses olim celeberrimi, superstes patri filius natu minor.

Hi cum universi qvinquennium & quod
 excurrit, Musis nostris vacarint, operamque in-
 dustriæ dederint, eorum jussu, qui præcipiendi vel
 svadendi potestatem habent, constituerunt secum
 aliò proferre pedem & in Academiis studia ince-
 pta ulterius excolere. Qvo autem illi antè legi-
 bus valedicendo satisfaciant & edito specimine
 Eruditis industriam suam comprobarent publicè,
 bellicum à me pro temporis opportunitate disse-
 rendi petiere thema. Cui desiderio gratifica-
 turus ego qvæstionem: Num pedestri præstet
 eqvestris militia, aut harum utriqve, qvam vocant,
 dimacharuim? decidendam proposui. Qvod
 inter se ita distribuerunt argumentum Oratorium,
 ut primus de Dimacharum dicere constituerit præ-
 stantia; alter Eqvitum collaudandum sumserit
 ordinem; Tertius denique peditum defendendas
 suscepit partes. Ad qvos audiendum illos cras
 post sacra matutina, SERENISSIMI PRINCIPIS
 AC DOMINI NOSTRI NUTRITIIQVE CLE-
 MENTISSIMI Consiliorum Præsidem Summum,
 Consiliarium Intimum Eminentissimum, Exar-
 chum Provincialem Curiæ Gravissimum, Illu-
 strissimum Comitem ac Dominum, DN. JO-
 HANNEM ALBERTUM Comitem de
 RONO & BIBERSTEIN, Dominum in
 Op-

Oppurg, Knau, Krobiz & Grünau, Dominum nostrum multum Gratosissimum.; nec non Viros Maxime- Reverendum ac Præ - Nobilissimum, Dominum JOSEPHUM FRIDERICUM à WALDECK, Hæreditarium in Culmiz & Dœbra- Stœcken &c. Pastorem Primate Curianum & Vicinarum Ecclesiarum Superintendentem, Gymnasii item Inspectorem Dignissimum.; Cum Reverendo plurimum Ministerio, Nobilissimos, Excellentissimosque Medicos, Physicum Ordinarium & Adjunctum.; Consultissimos Dominos Officiales; Urbis Senatum Prudentissimum Spectatissimumque, Gymnasii itidem Patronum & Scholarchas; Nec non Honoratissimos Dnn. Collegas, Præ-Eximios ac Clarissimos Dnn. Studiosos, omnesque Literarum Patronos & Fautores, eà, qvapar est animi devotione & promtitudine invitamus atque de commodanda nobis grotiosa & perhonorifica præsentia sua, hðc enixius rogitamus, qvò certiores sumus eos, sicut in Gymnasio hactenus nostro, ita in nobiliori post hæc Palladis palæstra certamina adituros, vel natalium partim splendore, vel præclara etiam indole suâ dignos, gratiam que hanc & Patronorum favorem grata mente

sc (142) 20

pungvam non digne deprædicaturos. P.P. 4.
Non. Martii Anno 1692.



-HII


21.

Ten

ACT

PROC

111



cifcani

ngct,

ICTORIUM,

um,
svis decenter

et/
Allemagne

des Niederlande

Chrysoula

lum multipes

Chrysanthemum

composita

composita

composita

composita

composita

composita